



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Materia scriptionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

errore procedens penitus abjiciendus est. Scrupulus proprie dicitur est, cum post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam suboritur peccati admissi suspicio, ita ut dubia mens hæreat, num peccarit, ideoque angustia, & perturbari incipiat. Et tales scrupuli, cum animam purgent, & à peccato abducant, circa initium conversionis maximè plurimum conducent; quia juxta D. Gregorium *bonarum mentium est, ubi culpam agnoscere, ubi culpa non est.*

## Regula II.

Hæc est calliditas & consuetudo dæmonis, ut animam delicatam, & ab umbra etiam peccati abhorrentem, in angustias & scrupulos conjiciens, à profectu impediatur; crassam verò crassiorem efficere, & in peccata semper graviora præcipitare studeat; unde in eam partem tendere quisque debet, quæ opposita est illi, ad quam Sathan pertrahere studet; sic enim in medio tandem subsistet, sicut arbor, quæ ad sinistram partem nimium inflexa, violenter ad dextram pertrahitur.

## Regula III.

Quoties homini, dum dicere aut agere aliquid bonis moribus non contrarium cupit, suggestio fucata illud dissuadens occurrit, pergendum erit intrepidè, & cum S. Bernardo dicendum: *Nec propter te capi, nec propter te finiam.*

## Materia Scriptionis.

Cum directorium exercitiorum c. 49. inter alia, de quibus monendum ait post exercitia exercitantem, tertio loco ponat ut ad conservandam & alendam devotionem pijs & spiritualibus exercitijs conceptam excitetur, proderit hodie documenta aliqua conscribere, quæ ad memoratam devotionem obtinendam conducere queant, qualia quidem sequentia esse possunt.

## Documenta salutaria.

*Ad devotionis spiritum conservandum.*

I. Definita pro sacrificio Missæ, horis canonicis, examine conscientiæ, lectione spirituali, tempora nunquam sine  
R 5 gravi